IN OBITU J. C. BROERS

Gerard Conrad Bernard Suringar

IN OBITU

IACOBI CORNELII BROERS,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTORIS,
MEDICINAE PROFESSORIS IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA:

IN SCHOLA ACADEMICA, DIE 2 MENS. DECEMBR. 1847 HABITA,
DISCIPULOS CONSOLATUS EST, IISQUE DEFUNCTI
PRAECEPTORIS EXEMPLUM COMMENDAVIT

GER. CONR. BERN. SURINGAR.

LUGD.-BATAVORUM & AMSTELAEDAMI,
APUD I. H. GEBHARD ET SOCIOS.
1848.

EX TYPOGRAPHEO I. G. LA LAU.

L. S.

Hisce feriarum diebus sermonem relegens, quem ineunte hoc mense ad discipulos habueram, ut, quantum in recentis vulneris acerbitate fieri posset, optimi Collegae memoriam celebrarem, opinatus sum, ea fortasse, quae tunc locutus eram, si typis describerentur, non prorsus fore ingrata iis, quos Broersius habuit amicos. Inter eos autem defuncti amicos equidem praesertim refero tum lectissimam iuvenum coronam, qui moesto vultu et animo demisso me audiverunt, tum qui ante, per viginti et amplius annos, in eadem hac Academia, praeclara ipsius institutione usi sunt. Huic opinioni, post brevem deliberationem, obsecutus, ea Orationi meae addenda esse existimavi, quae ad viri modo Clarissimi vitam domesticam pertinent et a lectoribus desiderari

posse videbantur. Interim hoc modo scriptiuncula in molem paulo maiorem excrevit; tum etiam eius forma magis quam voluissem, mutata est. At vel sic tamen non displicebit lectoribus, qui et defuncto Viro Clarissimo et mihi bene cupiunt. Quos ut habere mihi contingat indulgentes meae infantiae, etiam atque etiam rogo.

Scripsi die 22 *Dec.* 1847.

Quo me animo esse putetis, A. A. humanissimi, quum prima denuo vice, ad vos verba facturus sim ex eo loco, quo singulis diebus Vos docebat optimisque artis et doctrinae praeceptis imbuebat Clar. Broers, quem crudeli fato nuperrime nobis ereptum esse dolemus? Equidem tam cari capitis desiderio quam vehementissime afficior; amici enim integerrimi, quocum per hos quatuor annos quotidie vixi, iactura irreparabilis nisi me vehementer afficeret, omnem humanitatis sensum exuisse viderer. Vestros autem pariter animos si dixero doloris acerbitate graviter afflictos esse atque perculsos, suspicor fore neminem, quin verissime me locutum esse fateatur.

Non sine causa igitur scholae academicae per aliquot dies a nobis sunt intermissae; quis enim aut fando praecipere, aut doceri poterit audiendo, si vox haeret faucibus, aut si laceratus fractusque animus in re singulari, praesertim in gravissima quadam clade sentienda et cogitanda occupatur omnis? Nunc autem, post breve temporis intervallum, ad solitos iam labores revertimur, memores officii, quo vigiles esse, neque praeter necessitatem otiari iubemur. Nec tamen iam scholas auspicari denuo possum, quin vestrae, quam de me, ut opinor, habetis, exspectationi obsecutus, pie parentando et meum optimi Collegae desiderium et vestrum dolorem studeam saltem aliquo modo lenire. Quidni enim nos, qui iustissimam habemus lugendi causam, ubi dirissima morte exstinctum cogitamus virum, qui praeclarum Academiae fuit lumen et ornamentum, quidni, inquam, in universam viri praestantissimi vitam, quasi in speculum, intueremur, quidni eximium admiraremur illius exemplum? Equidem non ingratum vobis facturus esse mihi videor, si in dilectissimo praeceptore, qui ipse ab omni adulatione fuit alienus, vere et simpliciter vobis proponere studeam excellentis Medici exemplum; quod, si minus proxime sequi,

imitari saltem aliqua parte possitis. Prima enim sequentem non dedecet in secundis consistere, et in praestantissimis rebus magna profecto censenda sunt, quae optimis accedunt proxima. Quo tamen facilius intelligatis, quibus ille gradibus ad tantam pervenerit praestantiam, operae pretium erit nihil non meminisse, quod ad eius imaginem declarandam pertineat.

Itaque Iacobus Cornelius Broers natus est die 17 mensis Februarii, anno seculi, quod praecessit, nonagesimo quinto, in urbe Rheno-traiectina, patre Iacobo Cornelio, viro honestissimo, et matre, praeclaris dotibus spectabili, Francina Sophia de Rochefort. Ab optimis his parentibus diligenti cura educatus et eruditus, a prima inde iuventute, in singulis disciplinis, quae ad studia humanitatis pertinent, diligentem collocavit operam, praesertim autem in literas graecas latinasque adeo diligenter incubuit, ut non solum emineret inter discipulos Gymnasii et plurima reportaret industriae atque doctrinae praemia, sed eo quoque tempore magnam sibi compararet latine loquendi et scribendi facilitatem. Iuvenis scilicet opinabatur, his studiis contineri praestantissima vitae praesidia et ornamenta, tum etiam optimam praeparationem ad Medicinae aliarumque disci-

plinarum studium. Nec sane immerito. Qui enim Medicinae scientiam (nostis hanc vocem Hippocraticam) sibi vere et apte comparare volet, is horum omnium compos esse debet, ut naturam nactus sit, doctrinam, locum studiis aptum, institutionem a puero, industriam et tempus. His ad optimum quodque viam monstrantibus, artis doctrina paratur.

Decurso mox stadio scholastico, anno 1811, die 7 mensis Martii, civium academicorum numero adscriptus est. Novistis profecto, quam misera fuerit eorum temporum conditio in hisce terris. Ne alia commemorem, satis sit dixisse, ut ceterarum Academiarum, ita quoque Rheno-traiectinae formam nativam sub Francicae dominationis imperio prorsus esse mutatam; et huic quidem, magis etiam quam reliquis, iniquam sortem obtigisse: quippe quae, ad Imperatoris voluntatem, pro inferioris ordinis schola declarata sit, iure promovendi, quod vocant, orbata, nullisque publicis, nisi ex urbis aerario, concessis stipendiis. Nec tamen ea res impedivit, quominus alacri animo stadium academicum ingressus sit Broersius, et primo quidem loco, in literarum atque Naturae studio praeclaros fecerit doctrinae progressus. In literis Philippi Guilielmi

Heusdii, viri Clarissimi et vere Socratici institutione usus est; in disciplinis mathematicis Ioannem Fredericum Hennertum, philosophum acerrimo ingenio praeditum, habuit praeceptorem; de Physica experimentis illustrata audivit Ioannem Theodorum Rossyn, virum exquisite doctum, propter ingenii elegantiam et singularem iudicii vim maxime celebratum. Cum his disciplinis coniunxit Botanices et Chymiae studium. Botanicen, qua Broersius iam tunc magnopere delectabatur, eo tempore docebat Matthias van Geuns, Medicus clarus et multum expertus, qui cum institutione medico-practica, in qua excelluisse videtur, pro temporis illius consuetudine, coniungebat scholas Botanicas. Chymiam docebat Nicolaus Cornelius de Fremery, quem virum Clarissimum constat et vario doctrinae genere excelluisse, et praeclarum fuisse diligentiae atque industriae exemplum. Itaque Broersius, qui intelligeret, priusquam ipsas Medicorum scholas posset adire, tum in literis, quae ad studia humanitatis pertinent, tum in disciplinis variis, quae ad cognitionem Naturae ducunt, diligentem atque solertem collocandam esse industriam, omnium virium intentione curavit ne in posterum iis careret doctrinae fundamentis, in quibus

optima continetur ad Medicinam discendam *προπαιδεία*, tum etiam firmissimum virtutis praesidium et insigne totius vitae decus et ornamentum. »Etenim (ut disertissimi Medici verba in vestram memoriam revocem,) quamquam multa sint, ad ipsas artes proprie non pertinentia, tamen eas adiuvant, excitando artificis ingenium. Itaque ista quoque naturae rerum contemplatio, quamvis non faciat Medicum, aptiorem tamen Medicinae reddit. Verique simile est, et Hippocratem, et Erasistratum, et quicunque alii, non contenti febres et ulcera cogitare, rerum quoque naturam ex aliqua parte scrutati sunt, non ideo quidem medicos fuisse, verum ideo quoque maiores medicos exstitisse."

In disciplinis autem, quibus doctrina et ars medica continentur, praeceptores habuit Ianum Bleulandum, Danielem Dylium, Ianum Isaäcum Wolterbeek et Bernardum Franciscum Suerman, viros in suo quosque genere excellentissimos. In Anatomicis quippe et Physiologicis Bleulandi institutione usus est, quem virum Clarissimum, licet non ultra Blumenbachium saperet, neque abditam et intricatam corporis humani Physiologiam Promethea quadam face posset illustrare, (quod nemo mirabitur, qui imperfectam Halleria-

nae Physiologiae rationem cogitaverit,) praeclarum tamen laudare solebat Anatomiae, tum hominis, tum comparatae, quam vocant, praeceptorem atque artificem. Quid, quod huius viri Clarissimi exemplo et singulari ardore excitatus fuerit Broersius ad diligentissimum Anatomiae technicae studium, suasque subinde periclitatus sit vires in praeparandis speciminibus anatomicis? quae specimina servantur in Museo, quod etiamnum Academiae Rheno-traiectinae superest, illustre Bleulandianae industriae monumentum.

In Pathologiae studio et in cognoscendis curandisque hominum morbis ducem et praeceptorem habuit Danielem Dylium, Matthiae Geunsii successorem, virum doctum et eruditum, mira ingenii ac iudicii subtilitate, morumque elegantia et urbanitate eminentem. Ex cuius tamen viri Clarissimi institutione Broersius cum commilitonibus suis, non sic, ut voluisset, proficere potuit, quia vir Clar. non nisi per paucos menses Academiam Rheno-traiectinam ornavit, praematura morte, post phthisicum morbum, eidem ereptus.

Ex Broersii praeceptoribus adhuc supersunt Wolterbeekius et Suermannus. Ille tum medicam Praxin, post fata Dylii, tum artem Lucinae servientem docuit Broersium (excepta parte theore-

tica, quam instituebat Bleulandus,) disciputoque praeclarum fuit in Natura observanda et prudenter adiuvanda exemplum. Hic autem in arte Chirurgica eidem fuit praeceptor; et sic quidem, ut artem, quae manu medetur, non solum doceret, sed simul exemplo suo probaret, ipsam huius artis factitationem, ne excepta quidem, quae servandi consilio fit, artuum mutilatione, coniungi posse cum grata morum suavitate et cum ea ingenii practici et urbanitatis specie, quae hominum usu et accurata cognitione superstructa est et cuius fructus tum in aliis, tum in hoc cernuntur, ut Medicus, quemadmodum oportet, non paucorum sed omnium hominum sit, sive in pauperum tabernis vivatur sive in aulis principum.

Itaque Broersius in loco natali optimam nactus est academicorum studiorum opportunitatem, excellentissimis et claris magistris ad bona quaevis et honesta viam monstrantibus. Ad hanc felicitatem alia accessit: habuit quippe praestantissimos, in stadio academico, commilitones et studiorum socios, ex quibus, ne memorem Kistium, Oordtium aliosve Theologos, aut ex aliis disciplinis Henricum Cock, Annaeum Cornelium den Tex, aut qui alii laudes suas etiamnum tuentur, praesertim nominari oportet Ianum van Rees,

Medicum quondam Cuilenburgensem, in aetatis flore exstinctum, Didericum Ioannem van Leeuwen, qui Alcmariae artem exercet, et Christianum Bernardum Tilanum, nunc Amstelodamensem, quem ab academicis inde studiis usque ad extremum, quem vixit, vitae diem, per triginta et quod excurrit annos, integerrimum habuit amicum.

Nec tamen stabilis et intaminata fuit haec studiorum academicorum felicitas. Anno quippe 1815, duplici calamitate, altera privata et domestica, altera communi et publica, placidus studiorum cursus turbatus est et aliquamdiu interruptus. Die 12 mensis Aprilis paterfamilias, quem optimum vitae ducem ac moderatorem habuerat Broersius, ex hac vita discessit, vix quadraginta annis superior, magnumque sui reliquit desiderium tum dilectissimae coniugi, tum numerosae proli, octo filiis et filiabus quatuor. Huius autem honestissimi atque integerrimi viri obitu si quis minorem domui cladem ideo illatam esse opinetur, quod a decimo septimo aut octavo aetatis anno, ipsiusque matrimonii initio, morbo articulari sive Podagrae obnoxius fuerit, is utique videat, ne specie rerum fallatur aut in gravissimum errorem se abduci sinat. Licet enim per maximam vitae partem sellularius

fuerit, et articulos, genua talosque morbo curvatos habuerit, adeo quidem, ut brachia pedesque suum negarent officium, hanc tamen corporis infirmitatem tum in suos amore, tum sapientia et consilio mirifice compensavit. Quid, quod omnes, qui praestantissimi viri familiaritate usi sunt, hunc patremfamilias, si aetatem et alia singularia excipias, sic describant, quasi uterentur verbis, quibus Cicero pinxit praeclaram Appii Claudii imaginem? Verba haec sunt: »Quatuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat et senex, et coecus. Intentum enim animum, tamquam arcum, habebat, nec languescens succumbebat senectuti. Tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos: metuebant servi, verebantur liberi, carum omnes habebant. Vigebat in illa domo patrius mos et disciplina.''

Dolore, quem ex praematura dilectissimi parentis morte perceperat Broersius, vix aliquantulum levato, ecce alia accessit calamitas, Musis pacem amantibus, si quid aliud, prorsus adversa. Nostis, quid eo tempore in patria nostra et alibi gestum sit, ubi, post Napoleontis fugam ex insula Ilva, de salute Europae denuo desperabatur. Tunc quippe Academiarum alumni, patriae salu-

tem ipsa vita sibi cariorem esse intelligentes, missis ad tempus literarum studiis, ex Musarum palaestra in Martis campos se contulerunt. Itaque una cum multis aliis Broersius nomen militiae dedit et brevi quidem sic didicit tractare arma, ut alios iam docere posse censeretur et a commilitonibus suis creatus sit magister excubiarum superior (Sergeant-Majoor): qualem honorem, pro arbitrio et prouti placeret pluribus, in socium quemdam referre, ipsa permiserat sapientissimi Regis liberalitas, recte perspicientis, sic optime consuli moribus iuvenum studiosorum, ut in aliis rebus ita quoque hac in re libertatis amantium. Ex quo quidem honoris titulo, per se quidem non adeo magni aestimando, efficere tamen licebit, quam gratus et acceptus commilitonibus suis iam tunc fuerit Broersius.

Deinde autem quam alacri animo studia sua aliquamdiu intermissa repetierit, ubi Regis auctoritate factum erat, ut iuvenibus, qui per duos et ultra menses, extra patriae fines, omnes militiae molestias tulerant, ad placidam Musarum sedem redire liceret, tum alia probant, tum luculenter docet victoria, quam anno 1817 in certamine literario reportavit. Ordo quippe Medicorum in Academia Rheno-traiectina, tum suis, tum cetera-

rum Academiarum civibus, pro more illius temporis, hanc solvendam proposuerat quaestionem: *Quandoquidem in Gaubiana de morbis solidi vivi doctrina, quamvis gravissima, multa etiamnunc desiderantur, prouti ex observationibus patet, quae de vi vitali post eum institutae sunt; quaeritur, quid contulerint hae observationes ad doctrinam illam cum augendam tum vero etiam perficiendam?* In hoc igitur argumento gravissimo vires suas Broersius sic periclitatus est, ut ex communi Ordinis sociorum suffragio, aureo praemio ornatum sit eius Responsum: in quo laudamus orationis elegantiam atque ordinis simplicitatem, integram theoriam Gaubianam, tam physiologicam quam pathologicam, de supremo organismi moderatore, quem vim vitae dicunt, recte propositam, accuratam denique doctrinam et ingenium criticum in indicandis et ponderandis singulis, quae ex recentiorum inventis facere possint ad Gaubii doctrinam perficiendam. In hoc autem praeceptoris vestri exemplo videtis, iuvenes praestantissimi! qualia commoda ex hoc scribendi genere redundent. Eiusmodi quippe exercitatio non hoc habet consilium, ut omnis studiorum diligentia in argumento quodam singulari collocetur, aut ut in scribendo aliquis

verborum ac formularum apparatus comparetur, verum ut ad cogitandi ἀκρίβειαν, ad veram idearum perspicuitatem, ad argumentandi solertiam, ad recte iudicandi facultatem, ad congruum verborum selectum et ordinem, brevi, ad optimam disserendi, vel potius cogitandi et ratiocinandi methodum, in ipso iam studiorum cursu, adolescentes instituantur. Quis autem est, quin videat, recte cogitandi, dicendi, scribendi artem arctissimo inter se vinculo contineri?

Anno proxime secuto, ut redeamus unde digressi sumus, i. e. die 10 m. Novembris 1818, lauream Doctoralem consecutus est, in Auditorio maiori, publice defenso Specimine chirurgico-medico *de causis, cur laesionibus capitis, quae initio haud periculosae videbantur, frequenter sero symptomata gravia, in mortem desinentia, accedant.* Ex ipso iam Dissertationis titulo (in quo tamen iustam brevitatem desideramus,) apparet, materiam tractari gravissimam, non sine exquisitae doctrinae et perspicacis exercitatique iudicii apparatu, recte explicandam. Qualem vero in ponderandis alienae experientiae fructibus iam tunc sese praestiterit Broersius, vicesimum quartum agens aetatis annum, ipsius, mole parvae, Dissertationis attenta et diligens lectio facile vobis persuadebit.

Licuit igitur, ut vidimus, Broersio studia academica summa cum laude absolvere, ex iisque saluberrimos doctrinae fructus reportare. Quod si autem quaeratis, utrum hos pro Naturae dono haberi, an vero soli diligentiae atque industriae tribui oporteat, respondeo, ex utroque fonte repetendos esse praeclaros a Broersio in Academia factos progressus. Naturae quippe consensu, si in omni disciplinarum et artium genere, praesertim in Medicina discenda opus est. Illa enim repugnante, ut iam Hippocrates monuit, irrita sunt artis molimina: *Φύσιος γὰρ ἀντιπραττούσης κενεὰ πάντα.* Contra vero, qui vel optima acceperunt Naturae dona, parum omnino proficient, nisi ingenii vires exerceantur et perficiantur, nisi ad naturalem sagacitatem accedant diligens exercitatio atque industria.

Praeterea tamen alias causas esse opinor, a quibus repeti debeat Broersii studiosi excellentia. Et primo quidem loco optime intellexisse videtur, in Academiis nihil posse ingeri vel in hominis ingenium infundi, sed quaecunque bona, vera et honesta sunt, sensim et pedetentim ex illo esse prolicienda, ideoque opus esse tempore, neque in studiorum cursu festinandum esse, quasi eadem sit mentis nostrae quae pedum cor-

poris ratio, sed in haec praesertim studia transferri posse notissimum illud, *sat cito si sat bene.* Itaque non periclitatus est, utrum Thessalo Tralliano auctore, sex mensium tempore Medicinam discere posset, sed septem integros gravissimis hisce studiis destinavit annos. Alterum est, quod Broersius recte perspexerit, quales oporteat in Academiis et docentium esse partes et discentium: namque illi, ut recte iterum Hippocrates, sementem tantum faciunt, ad hos pertinet seminis reconditi cura. Itaque praeceptorum verba, in Auditorii subselliis, avide auribus excepta vel stilo exarata, parum prodesse intellexit, nisi domesticae accedant lucubrationes, nisi in scholis explicata dogmata et praecepta privatis studiis retractentur et quasi digerantur. Qui autem sic academicae institutionis consilium erat mente sua assecutus, nequaquam dubium est, quin ipse optimam secutus sit studiorum methodum. Memini me audire eum narrantem, quam insigniter eo tempore delectatus sit scholis de Gaubii Pathologia medicinali habitis, solitus libri istius paragraphos vesperi legere, antequam sequenti die a praeceptore explicarentur, ut sic periculum faceret, quorumnam verborum sensum ipse posset assequi, quae contra, non satis

intellecta, magistri commentario indigere viderentur. Dignissimum profecto, quod et vos imitemini, commilitones amicissimi, studiorum recte regendorum exemplum!

Stadio academico absoluto, Doctoris gradum adeptus, ut optimam viam semel ingressus erat Broersius, ita quoque e re sua esse intellexit, viros etiam exteros doctrina insignes adire et ex horum pariter proficere institutione. Hanc ob rem igitur cum duobus amicis, eadem fere spectantibus, Christiano Bernardo Tilano et Petro Ioanne Isaäco de Fremery, Lutetiam Parisiorum profectus est, ut in hac Franciae metropoli et vetustissima Academia, praeceptorum splendore, Nosocomiorum copia et magnitudine, praeclaris Bibliothecis, Museis et cuiuscunque generis Institutis celebratissima, novam nancisceretur opportunitatem doctrinae artisque penum augendi, praesertim in re chirurgica, quam eo iam tempore Broersius praecipue curabat. Sciebat autem, ut hoc consilium optime assequeretur, non singula, in quibus, quasi in compendio, pleraeque corporis miseriae continentur, Nosocomia visitanda et, si non quotidie, alternis saltem diebus, adeunda esse (quâ methodo copiosissimam reportari messem, plerique perperam opi-

nantur,) et similiter in praeceptoribus et artis magistris, se non vagari debere per omnes, sed multo potius habitare apud paucos, id est, duces sibi eligendos esse, quorum auspicio ad praecipuam perveniret consilii metam. Itaque de industria solum fere adibat Nosocomium cui Dei nomen tribuitur; quod constat Chirurgorum scholam fuisse totius Europae principem, praesertim inde a Petro Iosepho Desaltio, claro doctrinae artisque vindice. Anno autem huius seculi decimo octavo et nono, ubi Broersius Parisiis erat, in locum Philippi Iosephi Pelletan, qui Desaltio successerat, iam suffectus erat Guilielmus Dupuytrenus, Chirurgus plane incomparabilis, nemini secundus. Ex huius igitur disciplina atque exemplo Broersius plurimum profecit. In Chirurgia autem technica, in cadaveribus praesertim discenda, praeceptorem habuit Iacobum Lisfrancum, qui in hac artis parte, propter summam dexteritatem, et eo tempore et postea, maximam habuit famam. Ex ceteris autem Chirurgis subinde adiit Philibertum Iosephum Roux, tunc Nosocomii, quod a charitate nomen habet, Chirurgum, nunc autem in Nosocomio Dei, eamdem stationem nactum, quam a Dupuytreno praesertim ornatam esse diximus. Quod

autem diximus de habitatione in paucorum scholis, hoc non ita intelligi velim, quasi Broersius omnium reliquorum doctrinam neglexerit: imo vero, dato tempore, uberrimam quoque consuluit senum clarissimorum experientiam, quales tunc erant Antonius Portal, Antonius du Bois, Ioannes Dominicus Larrey et Ioannes Baptista Nicolaus Boyer, quorum doctrinam, sedulae apis instar, in suos usus convertit et sic ex alienis opibus proprium auxit doctrinae thesaurum. Nec tamen unice in praeceptis medicis audiendis et expendendis, in perficienda arte observandi, in discenda technica Chirurgiae factitatione, aliisve acquirendis aut perficiendis futuri Medici dotibus fructuosa fuit haec peregrinatio; sed eadem Broersio attulit quoque alia, vix minoris facienda, commoda, maiorem videlicet prudentiam, amplificatam experientiam medicam, perspectam variam in exteris scholis docendi methodum: adde his, ne loquar de accuratiore linguae Francicae notitia, melius cognitos hominum mores et sic excultam humanitatem et urbanitatem; quibus, ut cuivis quidem homini, nisi qui incultus haberi cupiat, praesertim autem futuro Medico, opus est quam maxime. Si vero quaeratis, cui tutelari numini Broersius acceptos referre de-

buerit tot fructus itineris, deinde per aliquot Germaniae Academias continuati, ubi v. c. Argentorati Lobsteinium, Heidelbergae Chelium, Gottingae Langenbeckium salutavit; respondemus, primarium tot bonorum fontem, post providam Dei curam, quaerendum esse in praegressa optima viri iuvenis praeparatione. Nisi enim iuvenes, (attendite, quaeso, animos ad ea quae dicam,) nisi iuvenes, inquam, qui in studiorum gratiam et scientiae augendae causa, iter facturi sunt, iam aliquam habeant privatae experientiae copiam, nisi probabilem possideant in literis et rebus medicis doctrinam et eruditionem, nisi prius pervenerint ad iudicii quamdam maturitatem, graviter metuendum est, ne bona et utilia a pravis et ineptis discernere nequeant, ne apud exteros mirentur, quae domi meliora sunt, ne rerum videndarum multitudine obruantur potius et onerentur, quam instruantur et ornentur; verbo, ne itineris fructus contineantur, ut saepe vidimus, in sola temporis iactura, in gravi marsupii paterni labe, in fucata quadam morum elegantia, in praemagna loquacitate et vel in sanitatis damno irreparabili.

Domum redux, servata modestia, quam multi foris exuunt, quasi angustam vestem deponerent, alarum motui adversam, Broersius in urbe natali,

si saltem secundaret fortuna, Praxin medicam exercere constituit; in qua, ne intra angustos limites coerceretur, sed ut omne auxilii genus ferre liceret aegrotantibus, Chirurgiae et Artis Obstetriciae Doctoratum, solito more, ante adeptus est. Sed iam post paucos aliquot menses in hac statione peractos, sedem suam transtulit in pagum amoenissimum, parentum domicilio vicinum, Zeystam, qui locus Medico privato, i. e. non ex urbe vicina invitando, videbatur indigere et clientelam polliceri satis numerosam. Qua in re eventus respondit opinioni. In hoc autem gratissimo et iucundissimo loco, Naturae ornatu aliisque bonis abundante, Broersius felicissime vixit; aucto deinde felicitatis modo per matrimonium, quod iniit cum virgine lectissima Gertruda van Pesch, quae per sedecim annos fidelissima ipsi fuit vitae socia, suoque coniugi, cum tribus filiabus, septem peperit filios, quorum sex supersunt, uno in prima pueritia exstincto. Et Zeystae quidem, quam diximus, in praxi medica exercenda, in morbis cultri ope curandis, in faeminis parturientibus iuvandis, si frustra imploratum esset Sifrae cuiusdam aut Puae auxilium, Broersius adeo fuit occupatus, ut maximam diei, subinde etiam noctis, partem,

ex alio in alium locum, equo veheretur, neque prius fere quiesceret, quam persuasum sibi haberet, auxilium suum nusquam desiderari. Nec tamen aut laborum multitudo, aut animus de aegrotantium salute sollicitus, aut domesticae de suorum commodis curae, Broersium impediverunt, quominus, qui discendi studio arderet, excursionibus botanicis, quas in deliciis habebat, quandoque vacaret et studiis perficiendis diligentem impenderet operam.

Anno 1826 Zeystam cum urbe Leidensi commutavit, in Academiam nostram vocatus ad docendam Chirurgiam et Artem Obstetriciam, successor datus Meinardo Simoni du Pui, ob aetatem septuagenariam rude donato. Hanc docendi provinciam, optimis auguriis, auspicatus est die 2 m. Dec., habita Oratione *de Chirurgiae studio cum cultu et humanitate coniungendo.* Itaque Broersio haec contigit felicitas, ut non in defuncti cuiusdam Professoris locum vocatus, sed vegeto et alacri seni suffectus sit, quem per octo continuo annos habere potuit Collegam. Et huius etiam viri Clarissimi, mense Iunio 1834 mortui, laudes publice praedicavit in Oratione, habita proximi anni die nono mensis Februarii, ubi, Rectoris munere defunctus, magistratum academicum tradidit successori.

Per viginti, ut novistis, annos, Broersius hoc docendi munere in nostra Academia functus est, et per longam istam annorum seriem, ut hominibus fieri solet, vitae cursum modo laetum et prosperum habuit, modo tristem et adversum. Inter tristia et adversa, quae ipsi contigerunt, referri meretur mors praematura dilectissimi fratris Georgii, qui iam in eo erat ut academicum Medicinae studium brevi absolveret, quemque magnae spei adolescentem summo et prorsus singulari complexus erat amore. Inter eos fratres, sola aetate dispares, tum eadem erat studiorum ratio, quae vel ipsa solet esse amicitiae vinculum, tum magna animi morumque consensio. Acerbissima autem huius fratris carissimi morte, qui mense Iunio anni 1836 obiit, Broersius eo magis commotus atque perculsus est, quo maior fuerat felicitas, quam aestate proxime elapsa cum eo fratre perceperat in itinere, quod pedites fecerant in Helvetia. Per ferias quippe aestivas anni 1835, ambo fratres, in dorso sarcinam, bacillum in manu ferentes, et curis domi relictis, maximam visitarunt Helvetiae partem, non ut in patria Halleri, cuius fama perennabit, quamdiu terra illa montes suos et valles lacusque habebit, adirent viros doctos, aut Nosocomia viserent, aut Bibliothecas;

sed ut stupendis Naturae miraculis delectarentur et, Botanices amore flagrantes, ditissimam colligerent Alpinarum plantarum copiam, brevi adeo auctam, ut humeri subinde negarent officium. Hanc autem plantarum arefactarum et congruo ordine dispositarum thecam integram superesse, est sane quod gaudemus; ut enim eorum, qui collegerunt, industriae erit et laboris monumentum, ita in posterum filii natu maximi aliorumque commodis serviet in cognoscendo stirpium monticolarum ingenio. Plura non addam, ut intelligatis, Broersium tam dilecti fratris funere graviter esse contristatum, atque hoc improviso et quasi portentoso ictu, parum abfuisse, quin de summo felicitatis culmine fuisset deiectus. — Non minorem percepit dolorem, ubi mense Iunio anni 1838, inopinata morte (quae gravem haemorrhagiam sequebatur post partum,) ereptam sibi vidit coniugem carissimam, quam suavissimam habuerat vitae sociam. Hanc tamen gravissimam cladem, licet ipse optima coniuge, numerosa autem proles provida matris cura vix carere posse viderentur, ea, quae hominem decet Christi praeceptis imbutum, tulit constantia; non parum quidem laceratus, sed minime morosus aut vitae pertaesus, et in eo studiosus, ut labo-

rum ac studiorum perseverantia et sedula liberorum educatione iustissimum suum leniret dolorem.

Attamen haec et alia mala, qualia nemo nostrum effugere potest, in Broersio longe maioribus superata sunt fortunae bonis. Haec singula referre, instituti ratio vetat. Duo tantum indicabo momenta, quae ad Broersii in his terris felicitatem maxime contulerunt. Alterum continetur in munere, quo in Academia functus est, alterum in loco, quem tenuit inter suos, inter amicos civesque Leidenses.

Quemadmodum ipse, ut ab hoc felicitatis fonte ordiamur, optima quidem, exceptis duobus extremis vitae mensibus, gavisus est valetudine, sic etiam familiaribus suis multa vidit corporis animique bona contingere: vidit dilectissimam matrem, quam in oculis ferebat, licet octogenariam, sibi servatam: vidit, una cum veneranda hac stirpe, superstites quatuor sorores et sex fratres, singulos variis honorum titulis ornatos et patriae commodis optime consulentes. Tum quoque de liberis suis plerumque habuit quod laetaretur, quorum commoda, quoquo modo posset, diligenti praesertim ad virtutem et ad optimos mores institutione, augere et promovere studuit. Inter beneficia autem a Deo ac-

cepta, ipse primum adsignare solebat locum alteris suis nuptiis, quibus anno 1840, die 20 m. Augusti, sibi associavit lectissimam coniugem Corneliam Margaretham Macquelyn, venerandi Collegae filiam, quae nunc una cum liberis, quos materno amore complectitur, desideratissimi mariti luget mortem et lacrymis suis prosequi perget, quibus est ille dignissimus. Memini equidem, et meminisse iuvabit, luculentissima, quibus saepe amicus interfui, domesticae felicitatis specimina, ubi praestantissima coniux ex mariti loquentis ore pendebat, et liberi, hilari vultu oculisque ex gaudio splendentibus, non novercae, sed dilectissimae matri blandiebantur. — Ut mihi, sic aliis, Broersii licuit amicitia frui. Quotquot autem praestantissimum virum mecum accuratius cognoverunt, vix satis praedicare poterunt candorem, integritatem, morum simplicitatem et suavitatem, gratam animi hilaritatem, indefessam alios iuvandi cupiditatem, et quae alia virtutis sunt ornamenta et ad gratam faciunt hominum communitatem. Quod si qui sint, quibus tamen aliquando in iracundiam visus fuerit propensior, ita ut subinde animo non satis moderari aut linguam continere posse videretur, hi teneant, velim, vitium fuisse virtuti

proximum, non ex invidia, ulciscendi libidine aliove putido fonte profectum, sed plerumque ex intaminato aequi iustique studio ortum. Hisce igitur moribus et sic se gerendo quid mirum est, si Broersius plerisque gratus fuit et acceptus et, inter Collegas praesertim, integerrimos quosdam habuit amicos? Quanti autem habitus sit a civibus Leidensibus, quibus ope sua et consilio per viginti annos auxiliatus est, communis illa probavit commiseratio et sollicitudo in Broersii morbo, tum praesertim in viri Clarissimi obitu, per universam urbem luctus et tristitia, ita ut vel pauperum lacrymae disertissimi fuerint testes pietatis publicae et venerationis, qua cives optimum civem sunt prosecuti.

Summa autem, quae Broersio contigit felicitas, haec est, quod eiusmodi obtinuerit stationem academicam, ad quam laudabiliter tuendam et vero ornandam erat naturae suae et ingenii excellentia aptissimus. Quemadmodum enim ad Medicinam olim accesserat discendam, ductus sensu quodam interno et optime praeparatus, sic pariter eiusdem docendae provinciam non temere in se suscepit, vel invita, ut dicitur, Minerva. Imo vero in omni hoc munere obeundo spem illam et exspectationem, quam de

eo Leidam vocato conceperant huius rei periti, non solum implevit sed longe superavit, et re vera excellentissimi Doctoris academici famam, inde ab initio usque ad finem, praeclare visus est tueri. Eminebat quippe in Broersio observandae Naturae studium, ita ut magna rerum sensibus percipiendarum varietate ac specie mirifice delectaretur. Licet enim non parvi faceret, quae ab humanitate nomen habent, literas, aut disciplinas alias, quae primas rerum causas auxilio rationis assequi student, aut quae historicarum nomine insigniuntur, maxime tamen Naturae et naturalium corporum contemplatione et exploratione delectabatur, ita quidem ut non dubium sit, quin in quovis physicarum disciplinarum genere excelluisset, si v. c. aut soli Chymiae, aut Botanicae, aut Zoologiae studia sua dicasset. Ex hoc autem Broersii ingenio intelligimus, quare ex omnibus Medicinae partibus Anatomiam et Chirurgiam praesertim dilexerit, et quare Praxi medicae, in sanandis morbis internis, non raro latentibus, occupatae, praetulerit istius Artis factitationem, quae manu medetur morbosque tractandos habet, qui ut plurimum oculis cerni et manu tangi possunt. Praeter ea, si in morbis vulgaribus, ut Celsus recte monuit, dubitari

potest, secunda valetudo Medicinae, an corporis beneficio contigerit, illius certe Artis, quae manu plurimum praestat, effectus inter omnes Medicinae partes est evidentissimus. Tertiam denique causam, quae effecerit, ut Broersius Chirurgiam praesertim curae cordique habuerit, inde repetendam esse censeo, quod inter Naturae dona acceperit et ab ineunte Praxi medica perfecerit eas omnes corporis animique dotes, quae ut in Chirurgo artifice concurrant optabile est. Quale huius exemplum sit, nos docuit Celsus, cuius disertissimi Medici verba, ut novistis, haec sunt: »Esse autem Chirurgus debet adolescens aut certe adolescentiae propior; manu strenua, stabili, nec unquam intremiscente, eaque non minus sinistra, quam dextra promtus; acie oculorum acri claraque; animo intrepidus, misericors sic, ut sanari velit eum, quem accepit, non ut clamore eius motus, vel magis, quam res desiderat, properet, vel minus, quam necesse est, secet; sed perinde faciat omnia, ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur." Quoties omnes illas virtutes, quae vel singulae non minimum commendant, in Broersii artificiis admirari licuit? sive cataractam extraheret pupulis oculorum obversam, sive calculum ex vesica

secaret, sive aliis gravissimis succurreret vitiis, aut in faemina utero gravida, difficultatem partus feliciter expediret!

Si ex iis, quae dixi, suspicemini, A. A. humanissimi, Broersium, internae adhortationis voce admonitum, maiorem fuisse Chirurgum quam Medicum, non propterea, velim, censeatis, eum arbitratum esse, utrasque, quas nominavi, Artis eiusdem partes posse separari, aut alteram sine alterius damno negligi. Contra in Broersio admirari licebat perfectum, ut dicunt, Medico-Chirurgi exemplum. Neque in ipsa solum artis factitatione, maiorem hominis aegrotantis quam morbi curam habendam esse arbitrabatur, ideoque praesidia diaetetica et pharmaceutica in plerisque morbis externis maximum usum praestare censebat, sed etiam in theoretico studio singulas Medicinae partes coniungendas esse opinabatur. Itaque ex morbis, qui ad Chirurgiae forum referuntur, vix ullum rite intelligi posse existimabat, nisi Physiologiae pathologicae auxilio eorum symptomata interpretari et cultri anatomici usu aliisque praesidiis, ne microscopico quidem examine neglecto, eorum origines, et quas subierunt, metamorphoses cognoscere studeamus. Hanc studiorum rationem ut ipse

sequebatur, sic aliis commendabat vir Clarissimus, praesertim discipulis, quibus accuratam quidem sed simul compendiariam methodum convenire censebat. In scholis igitur, ut meministis, hoc praesertim curabat, ne tirones, quorum interest accuratissime initia nosse, nimia rerum copia et varietate obrueret, sed ut iisdem potius succinctam et lucidam exhiberet rerum utilissimarum explicationem, recte opinatus, in Arte adeo longa et recondita, non per ambages sed via recta esse procedendum, ut academicae institutionis consilio satisfiat. Nemo tamen propterea opinetur, Broersii institutionem, si eam ab ubertate alienam dixero, in contrarium incidisse errorem, et nimis sobriam fuisse sterilemve et ieiunam. Hoc si qui crederent, quantopere isti fallerentur in iudicio! Si quis alius, Broersius callebat artem discipulos sic docendi, ut et liberae orationis veritate ac gratia, et sincero rerum cognoscendarum amore caperentur, et sic efficacissime ad propria excitarentur studia. Praeterea autem vix unam scholam habere solebat quin, quae verbis explicaverat, illustraret ipsis rerum naturalium exemplis, speciminibus anatomico-pathologicis, ut vocantur, in quibus praestantissimum doctrinae medicae ad-

miniculum contineri constat. Etenim, ut poëtae verbis utar, segnius irritant animos demissa per aures, quam quae sunt oculis subiecta fidelibus.

De hac speciminum anatomico-pathologicorum collectione, post viri Clarissimi obitum nobis superstite, non possum, quin breviter saltem dicam, ne videar neglexisse, quae maxime faciunt ad Broersii laudes. Quod de Carneade philosopho traditum est, qui saepe studio intentus tanta voluptate perfruebatur, ut eum, tamquam extra se positum, cibi potionisque caperet oblivio, idem de Broersio affirmari potest, ubi occupatus esset in praeparatis anatomico-pathologicis, ut vocantur, colligendis, explorandis et congruo modo servandis. Nec tamen haec solam Broersii solertiam, industriam et miram in labore constantiam testantur, sed simul luculenter illius ingenium nobis declarant. Quemadmodum ex librorum catalogo, quibus usi sunt viri docti, in genere suo excellentissimi, saepe augurari possumus, quale his ingenium fuerit, (cuius rei memorabile exemplum in Eduardo Sandifortio habuimus,) ita nec dubium est, quin ex supellectili, qualem reliquit Broersius, ipsius artificis sagacitatem, industriam atque doctrinam proba-

biliter cognoscamus. Non quippe rara et inaudita, ut saepe fit, hinc inde colligere studuit, sed in institutionis gratiam, formas organicas alienas, quales saepe morborum vel causae vel effectus sunt, in cadaveribus invenire, inventas ab omni parte explorare, exploratas ex artis praecepto praeparare et asservare solebat, ut sic ex accuratissima earum analysi ipsam morborum genealogiam, typum evolutionis, metamorphoses varias, et exitum aut in salutem aut mortem, erueret et discipulis explicaret. Licet enim eiusmodi *corpora delicti*, ut saepe vocari merentur, in cadavere reperta, non omnem in se contineant morbi praegressi causam, naturam aut effectum, dubitare tamen omnino non licet, quin laesiones organicae post mortem superstites saepe docere possint, aut primas morborum origines, aut varias incrementi periodos, aut ipsius Naturae in morbis sanandis mechanismum, aut ipsam denique moriendi necessitatem. Ad singula haec momenta illustranda, in quibus praecipuum versatur Physiologiae pathologicae argumentum, pleraque illa specimina, quae a Broersio sunt praeparata, per excellentiam facere possunt. Testor luculentissimum huius rei exemplum, quod vir Clar. ipse dedit in *Observationibus anatomico-*

pathologicis, anno 1839, L. B. editis, non minus argumento quam forma splendidis, et laude mea longe superioribus; quas, ut coeperat, utinam continuare licuisset! Hunc tamen quominus perficeret laborem sola obstitit penuria otii, qua feriarum non minus, quam scholarum, tempore premebatur. Vix enim dies erat, quin, penso academico absoluto, Medicis, Chirurgis et Obstetricatoribus, sive qui in urbe sive qui in viciniis sive etiam in locis hinc remotioribus, praxin exercerent, consiliari et auxiliari deberet; quod plerumque factitabat in magnum miserorum et aegrotantium commodum atque salutem, quorum multi adhuc superstites viri Clarissimi mortem lugent diuque lugebunt. Quid, quod vel eo tempore, ubi fatalis morbi molestias iam percipiebat, in hac artis factitatione, suae quandoque ipse sanitatis negligentior visus, perrexerit, ut sic, quamdiu fieri posset, aliis inserviret atque prodesset, donec, prae debilitate et aegritudine, ex lectulo non amplius surgere posset. De hoc autem ultimo vitae actu nihil omnino dicerem, ne mihi et aliis hunc dolorem renovare cogerer, nisi verba facerem ad futuros Medicos, ex quacunque hominum calamitate aliquid discere cupientes.

Ut meministis, Broersius statura erat brevi, humeris latus, lumbis firmus, membris compactis et torosis, fronte erecta, crinibus nigris, cute subfuscum habente colorem, oculis vividis, obscuro colore tinctis, vultu primum severo, mox autem, ubi loquebatur, mitescente atque sereno: paucis, omnia in corporis forma per excellentiam erant mascula, solis exceptis manibus, quae singulari erant parvitate. Temperamentum cholericum erat, sic tamen, ut sensim magis inclinare videretur in diathesin venosam, atrabilariam. Nec tamen hinc magna percepit incommoda, quum postremis etiam vitae annis sanissimus vixerit, sola excepta cephalalgia periodica, qua subinde, nec tamen frequenter, per breve tempus corripiebatur, et quam ipse suspicabatur esse generis rheumatici. A laboribus suis abstinere coactus fuit medio fere mense Octobri. Symptomata tunc aderant: agrypnia, dolor lumborum, corporis robur singulari modo prostratum, et dolores colici, aut semel aut aliquoties per nychthemerum urgentes. Virium imbecillitas a nutritione corporis depravata et a boni sanguinis inopia, qualem labia oris admodum pallida et signa alia declarabant, pendere videbatur: ab eadem causa, id est, a debilitate

erethica, ut vocant, probabiliter repetenda erat somni absentia: gravissimam causam habebant dolores colici irregulares, labem quippe organicam, ut accurata exploratio docebat, in hepate, colo transverso, mesenterio aliave vicina parte residentem: lumbaginem denique pro sympathico habuimus symptomate, a reflexu, ut dicunt, nervorum spinalium repetendo. Ad has molestias brevi accesserunt anorexia perfecta, sive omnium ciborum fastidium, insatiabilis aquae frigidae bibendae cupiditas et potulentorum per guttur superius reiectio, postquam per duodecim horas aut paulo diutius in ventriculo fuerant. Postremum hoc symptoma, vomitus aquae copiose sumtae, viridi bilis colore tinctae, per quinque aut sex dies continuatum est, lingua interim pallente et satis humida, omnique absente febre. Attamen metum, ne ab hepate aegrotante aliove viscere via in duodenum, mechanico modo, interclusa esset, fugarunt administratae doses maiores olei Ricini, quibus, post frustra adhibita praesidia alia, alvus copiosissima excitata est, cessante vomitu. Nulla tamen sic facta est morbi in meliorem statum mutatio. Naturae voce admonitus, infelix aeger ab omni prorsus cibo abstinere coge-

batur; expleri nescia, manebat bibendi necessitas, ab anaemia, ut videbatur, repetenda; summa virium prostratio, faciei collapsus et universi corporis extenuatio magis magisque augebantur; dolores colici quandoque cum lumborum et artuum doloribus alternabant, sed semper, post breviores longioresve inducias, revertebantur; accesserunt morbi nigri sive Melaenae symptomata, et per plurimos dies copiosissima evacuata sunt sanguinis nigri et foetentis coagula, subinde etiam sputis cruentis tussiendo prodeuntibus; tandem symptomata nervosi generis, delirium mite, tendinum subsultus, motus artuum involuntarii et loquela bulbutiens (in cerebri ventriculos effuso sero, ideoque anaemiae et hydraemiae, verisimiliter tribuenda) brevi instantem nuntiarunt mortem. Postquam amicis et inter hos Medico suo fidelissimo, Doctissimo van Kaathoven, et familiaribus singulis, sui prorsus conscius et ad vitam meliorem paratus, valedixerat, die 23 m. Novembris ante mediam noctem, placide exspiravit, anno aetatis quinquagesimo secundo.

Triste fuit cadaveris aperti spectaculum. Colon transversum, ad duorum pollicum ab intestino coeco distantiam, labem organicam nobis cernendam

praebebat, pro pessima fere heteroplasiae specie habendam. Viscus per trium pollicum longitudinem, extrinsecus inaequalem et cartilagineam referebat duritiem, ita ut aperiendum, cultri fere aciem superaret: tunicae componentes integri pollicis crassitiem referebant et in lardaceam materiem erant mutatae: canalis adeo coarctatus erat, ut vix digitum minimum admitteret: in interna superficie carcinoma cernebatur apertum, cuius ulceris finem utrimque terminabat crena, sanguine maxime referta, ex superstite membrana mucosa partium vicinarum formata. Hepar magnitudinem retulit naturalem, margine costarum prorsus absconditum, sed in gibba sua superficie quinque vel sex habebat corpuscula, ad pisi minoris magnitudinem, sub membrana serosa posita, nondum emollita, pro cancri tuberculis crudis habenda. Ventriculus, pancreas, lien et renes a morbo fuerunt immunes. Praecipua autem carcinomatis sedes in mesenterio et mesocolo fuit, ita ut nullae cernerentur glandularum meseraicarum reliquiae, sed materies firma, lardacea, trium fere pollicum crassitiem referens, has peritonei duplicaturas ab omni parte expleret, in lumbos usque extensa et utrimque vertebrarum columnam, arteriam magnam aliasque

partes vicinas arctissime includens. Sic itaque Natura, in viro ad speciem sano, lente et insidiose ea paravit vitae impedimenta, quae in corporis ruinam redundant neque vitam permittunt vitalem. Ideoque vos, iuvenes praestantissimi, in hoc etiam casu videtis, historiam mortis, accurato extispicio superstructam, optimum esse et vero, si Artis Medicorum commoda spectantur, prorsus necessarium vitae morbique historiae complementum; quo deficiente, ea luce caremus, quae obscuram praegressi morbi imaginem collustret.

Exsequiae habitae sunt quinto post mortem die, 27 m. Novembr., in frequenti familiarium, amicorum, discipulorum civiumque Leidensium, tum etiam exterorum quorumdam, conventu. Quotquot autem adfuerunt, sponte sua confluxerant, ut exsequias funeris prosequerentur pieque celebrarent. In quo quidem tristissimo sepulturae negotio non minimae fuerunt vestrae partes, iuvenes optimi, qui, ubi ventum erat ad aggerem, pati noluistis ut theca funus inclndens alienis humeris portaretur ad foveam: iure vestro existimantes, quod aliis onerosum fuisset, Vobis fore pium honorificumque officium. Ut mihi, sic certe Vobis etiam gratum fuit et acceptum,

audire Oordtium, virum Clar., quum pro meritis, amico defuncto elogium dixit, et animos praesentium tum consolatus est, tum ad honesta quaevis et laudabilia, in hac vitae terrenae brevitate, prae aliis cogitanda, appetenda et pro virili peragenda incitavit.

Quae dixi, si aliquo modo facere possint ad declarandam iacturam irreparabilem, quam Broersii morte fecimus, equidem consilio meo satisfactum esse putabo. Etsi autem multa et magna sunt, quae hoc acerbo fato nobis erepta dolemus, nos tamen consoletur cogitatio, quod homo non omnis moriatur, quod supersit nobis praeclarum integritatis, modestiae et doctrinae exemplum, et quod sibi vivere pergat in patria meliori atque coelesti, quam non cum Socrate aliove praestantissimo philosopho probabiliter suspicamur, sed de qua aeterna domo firmiter nobis persuasum est fide et auctoritate Illius, qui nec falli nec fallere potuit et cuius verba ipsam continent veritatem.

Tu autem, Anima Sancta, ave et vale. Tibi iam salutem perfectam gratulamur, scientes, neminem esse ante mortem vere beatum. Tui memoria ex animis nostris excidet nunquam. In Tuum vitae artisque exemplum intueri, Teque

sequi conabimur, donec et nobis, quo Deo visum fuerit, ordine, mortalia cum coelestibus et aeternis commutare licebit. Quod ubi fiet, utinam simus parati, ne et nos frustra nobis vixisse videamur!